collocutus valdè me delectavit. Eum tuæ benevolen-
tiæ comendo. Vale frater in Dño honorande, meq
tui observantissimum, quod facis, ama. Deum oro,
ut te cum venerando Patre Beza et D. Pezelio san-
ctissimam Ecclesiæ trigam diu nobis donet. Salutem
dico D. Amando et fratribus. Heidelbergæ 3. Non.
April. CIↃ IↃXCII

Tui observantissimus
D. Pareus.

30.

D. Sibrando D. Pareus S.

De hisce thesibus, vir Clarissime, oborta mihi dis-
ptatio cum Jesuitis Moguntinis et Spirensibus. Et illi
quidem censuram evulgârunt nundinis præteritis
præacerbam, quam credo, vidisti. Isti verò invitati
humaniter à me ad disputationem Academicam
non comparuerunt, sed pro concione theses scur-
riliter exagitârunt: scriptis etiam literis ad me
oppugnare cœperunt, neq concertationis ejusdem
est inter nos finis; statui autem epistolas ἀμοιβαίας
suo tempore evulgare. Thesi 7. Hermanni cujusdam
Wolfgangi blasphemam vocem citavi, Brentium, Hes-
husium, Witakerum, teqs secutus. Negant illi et qui
librum authoris non habeo, nec vidi, nec allegare ca-
put aut paginam queo, quod nec ab ullo illorum
factum video, valde in eo triumphant. Etiam He-
sius Brentio tale quid objecit. Momenti non magni
res est. Attamen ne historicum hoc [illegible] in nos
recipiamus: quæso te, ut hic me adjuves. Bis ab ste
Hermannum nominari video de script. author. et
de concil. Etiam nuper a Tigurinis in actis Pisto-
rianis vidi citatum. Si igitur vobis de authore
hoc constet aut ex [illegible] vobis Anglia a Theologis
Cantabrig. certè quid de eo cognoscere potestis,
quæso ad nundinas futuras, si fieri non potest,
quod tamen propter publicationem maximè cu-

perem, me facies certiorem. In Gallia Delphinatu mense Octobri fuit Synodus nationalis Vapincẽ, in qua propter technas Pontificis et Regis invan, stantiam de concordia religionis inter omnes Reformatas Ecclesias, etiam cum Lutheranis, sancienda praecipuè actum fuit. Venit nunc ad nos legatus cum literis Synodi: fortè etiam ventu-rus vel idem, vel alius, qui in Angliam abiit, ad vos. Queruntur quosdam inter fratres, in quibus no-minant D. Piscatorem, novitates in doctrina sectari, quos petunt in officio contineri: nec est de nihilo. Etiam apud nos ministri qui-dam Ramea Theol. imbuti contra praesentiam et manducationem corporis Christi spiritu-alem in S. Coena disputare occoeperunt. Coenam nihil esse, nisi memoriam mortis Christi fidelem et gratam cum Alsone defendentes, fundo quaedam παρόξυσμος inter nos ortus, cujus fama si ad vos veniet, scies ex his quae scri-bo quid rei sit. Sed spero placidam compo-sitionem. Bene vale et saluta ex me fratres omnes. Heidelb. 16. Cal. Jun: 1602.

T. David Pareus.